



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

104. An Episcopus existens extra suam Diöcesim possit excommunicare
suum subditum, si res adeo manifesta sit, ut non requirat cognitionem
causæ? Ex p. 5. tr. 9. res. 35.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

at in loco exempto intra proprium territorium, prius
Episcopus non potest eum censura ligare, quia talis
locus comparatur alieno, quod secundum aliquos, ut
alibi dictum est, intelligitur, si locus sit absolute
exemptus, & non solum quoad personas. Ita cum Suar.
& Coninch docet Hurtado ubi *supr. diff. 8. num. 33.*
Alij verò id absolute pronunciant, & intelligunt etiam
de Monasteriis Regularium. Ita Henric. *lib. 13. cap.*
26. num. 2. Sà ver. Excommunicatio num. 12. Avila de
conspectu. 2. cap. 3. disput. 2. dub. 5. quorum sententiam
probabilem esse satis indicat Præpositus ubi *suprà*
num. 27. quia, ait ille, in dictis Monasteriis Episcopus
pro Tribunali sedere non potest; & licet locus exem-
ptus sit de Diocesi, & territorio Episcopi, tamen lo-
cus exemptus, & locus extra territorium æquiparan-
tur quoad jurisdictionem, nec locus ille est quidem
de territorio Episcopi quantum ad situm, non autem
quantum ad jurisdictionem. Vnde ex his inferitur,
quod si Episcopus præcipit sub excommunicatione
ne aliquis furetur rem sacram, si subditus ejus furetur
calicem in loco exempto, non incurrit, & ideo ex
dictis infert Avila, quod si Episcopus ponat excom-
municationem contra ingredientem Monasteria Mo-
nialium ad loquendum cum illis, qui ingreditur Mo-
nasterium exemptum, non incurrit, secus est si ferret
excommunicationem contra accedentes ad Monaste-
ria etiam exempta. Nam licet Monasterium sit exem-
ptum, tamen via, qua pergitur ad illud, non est exem-
pta, & ratio discriminis horum casuum est, quod in
primo excommunicatio non ponitur propter accessum
ad Monasterium, Igitur olim ego probabiliter docui,
ludentes, & eudentes monetam fallam in Monasteriis
Regularium contra prohibitionem Episcopi id pro-
hibentis sub censura, illam non incurrit; sed de
his * infra redibit sermo.

Sup. his
segg. cum
eodem Avi-
la, & aliis
sup. in Ref.
85. per tot.
& in Ref. 86.
§. 1. per tot.
& lege do-
ctrinam al-
terius Ref.
earum au-
notationum.

* Infr. in Ref.
quæ hic est
supra 85.

RESOL. CIII.

An si delictum inchoatum sit in proprio territorio, & con-
summatum in alieno, tunc subditus incurrit censuram
Statuti generalis sui Episcopi?
Et an Episcopus per Statutum possit prohibere sub cen-
sura, ne Sacerdos subditus in aliena Diocesi celebret, &
similia? Ex part. 5. tr. 9. Refol. 33.

Sup. hoc sup. §. 1. R Espondeo non incurritur. Ita Suarez de cen-
suris disputat. 5. sect. 4. num. 7. & sequent. Vnde
si stuprum, v. g. sit prohibitum in hac Diocesi sub
excommunicatione, & quis raperet virginem, & eam
extra territorium portaret, & ibi violaret eam, non
incurreret censuram, quamvis per tactus, oscula, &
raptum intra territorium inchoaret stuprum. Et ratio
est, quia hæc censura lata est absolute contra stupra-
tores, & non contra quomodocumque stuprum in-
choantes. Ergo quousque stuprum consummatum
sit, incurri non debet; sed in hoc casu consum-
mans stuprum est extra territorium ubi non ligatur
per statutum, ergo. Confirmatur quia si feratur
censura contra homicidas in Ecclesia, ille qui intra
Ecclesiam existens sagittam projiceret, qua hominem
extra Ecclesiam existentem occideret, revera non
incurreret censuram illam, etiamsi homicidium fue-
rit intra Ecclesiam inchoatum. Ergo. Vide etiam
Gordonum in summ. tom. 2. lib. 7. cap. 2. §. 3. num. 34. ubi
ita ait. Quid si cum delictum inchoatum est in pro-
prio territorio, & consummatum est in alieno? ubi in
primis adverte, peccatum quoad censuras, foris quæ
exterius consummari in actu, & effectu externo pro-

hibito, ut jam putavit in exemplo non residendi
quicquid, sit de voluntate mala respectu Dei alibi in-
choata. Quale in contrahendis censuris spectandum
est ubi dicto modo sit consummatum delictum, &
quidem si delinquens consummat delictum in alieno
territorio, & nullo ex hactenus dictis titulis censetur
præfens, sed planè absens, ille tunc non contrahet
censuram annexam huic delicto per statutum proprii
Episcopi, nec pœnæ huic subijciatur. Dixi quoad cen-
suras, nam quantum ad alias pœnas, vel effectus, re-
cepta sententia est, quando delictum in uno loco in-
choatur, & consummatum in alio, posse delinquentem
utroque puniri, ex l. 1. C. ubi de crimine agi oportet,
& per illa expressa verba, ubi commissa vel inchoata
sunt. At vero censura non solet ferri, nec ferretur, ut
nunc pono, propter inchoatum delictum, estque hæc
mens legislatoris. Ita Gordonus.

2. Nec valet dicere quod ex his sequuntur duo ab-
surdum. Primum est, quod qui alterum lethaliter in
propria Diocesi vulneravit, ubi homicidium est pro-
hibitum sub censura, non incurrit illam, si vul-
neratus extra propriam Diocesim moriatur, quod
est falsum. Secundum est, quod non possit Episcopus
per statutum prohibere sub censura, ne triticum, &
v. g. extra Diocesim deferatur, aut ne Sacerdos sub-
ditus in aliena Diocesi Missam celebret, cum hujus-
modi delicta consummari non possint, nisi extra Dio-
cesim, ubi talem censuram incurrit non possunt.
Huic objectioni respondet Suarez numero decimo, & §. 1.
undecimo, negando sequi illa duo absurda. Et ad
primum dicit probabiliter esse homicidium illum in-
currere censuram in eo casu, quia quamvis homici-
dium consummatum sit extra territorium, quantum
ad ultimum ejus effectum, qui est mors, tamen tota
actio exterior, à qua provenit, scilicet vulnus lethale,
causata fuit intra territorium, ratione cujus dici po-
test homicidium fuisse intra territorium consumma-
tum quantum ad totam actionem, ex qua mors sequi-
ta fuit; cui, faver, quod iste homicida non possit con-
veniri pro homicidio in alieno territorio ubi mors
fuit sequuta, cum in eo nullum delictum commiserit,
ex quo sequitur, quod accusari debeat in proprio ter-
ritorio, non solum ratione vulneris illati, sed homi-
cidij. Ad secundum inconveniens respondet in num.
11. delictum illud deferendi triticum extra propriam
Diocesim quoad actionem, qua deferretur, consum-
mari intra propriam Diocesim, quamvis quantum
ad terminum extraordinarium assumatur in aliena. Et
idem est dicendum ad illud de Sacerdote cui, Episcopus
sub censura prohibuit celebrare extra propriam
Diocesim: nam cum hæc prohibitio sit suspensio
quædam personalis imposita Sacerdoti intra pro-
prium territorium pro territorio alieno non incurritur
de novo à Sacerdote, quando existit in aliena
Diocesi, sed eam secum deferat, aut portare censetur,
quando à proprio territorio exivit, & hæc omnia
præter Suar. docet Cornejo in 3. part. tract. 5. de cens.
in gen. disput. 6. dub. 2.

RESOL. CIV.

An Episcopus existens extra suam Diocesim possit ex-
communicare suum subditum, si res adeo manifeste sit,
ut non requiratur cognitio causæ? Ex part. 5. tr. 9.
Refol. 35.

§. 1. I ceter Episcopus existens extra proprium terri-
torium non possit subditos suos excommuni-
care, ex cap. Episcopum 9. quæst. 2. juncta glossa, quia
jurisdictio contentiosa, qualis est jurisdictio ad ex-
communicandum, non potest exerceri in alieno terri-
torio.

itorio, ex c. novit, de officio delegati. & l. 2. de officio Pro-
curatoris. Tamen Avila de censuris part. 2. c. 3. disp. 2. dub. 1.
ex Navari. & Sylvestro limitat hanc sententiam,
quando crimen est adeo clarum, ut non requirat co-
gnitionem causae, & etiam docet Bizozerus, in sum-
ma de excomm. c. 2. n. 2.

2. Sed adversus hanc sententiam insurgit Io. Præ-
positus in 3. part. D. Th. q. 1. de censuris in communi d. b. 5.
n. 4. quia in tali casu verum est, quod Episcopus in
alieno territorio non habeat Tribunal, & quantum-
cumque causa sit clara, ferre censuram est actus fori
contentiosi, quod in aliena Diocesi exerceri nequit,
ex Clem. unica, de foro comper. in pr. Vnde Episcopus
quantum ad exercitium jurisdictionis contentiosae,
est veluti quidam privatus, postquam Diocesim suam
est egressus, & censura ab eo ibi lata non solum est
illicita, sed etiam nulla & invalida, ut late ostendit
glossa in cap. novit, de officio Leg. ver. terminos, & colli-
gitur manifeste ex ipso textu, ubi Pontifex non aliter
salvat censuram interdicti à Legato contra Regem
Francie latam, quam ex eo quod nondum fuerat ter-
minos sue legationis egressus ergo si jam extra illos,
censura illa nulla fuisset.

3. Verum his non obstantibus sententiam Avilæ
& Navari tenet novissime Petrus Cornejo, in 3. part.
D. Th. q. 5. de cens. in genere, disp. 6. dub. 2. q. 2. quia cum
causæ cognitio necessaria non sit, cessat ratio prohi-
bitionis quod intellige modò monitionis præmittat,
& huic sententiæ favet textus in c. cum sit, §. fin. de ap-
pell. & cap. evidentiæ de accusat. & c. manifestat. l. 1. q. 1.
Vnde puto utramque opinionem esse probabilem, sed
ego affirmativæ libenter adhareo.

RESOL. CV.

An ratione delicti possit Episcopus excommunicare sub-
ditum alienum?

Vbi etiam invenies aliud pulchrum dubium videlicet;
an si Episcopus Panormitanus ferat excommunica-
tionem contra scientes, quinam fecerit tale furtum, &
non manifestantes; si Petrus verbi gratia, origina-
rius Diocesis Montis Regalis perveniat ad Civita-
tem Panormi post latam hanc sententiam & ibi acqui-
rat domicilium & cognoscat furem, & non manifestet,
an ligabitur censura?

Ex quo inferitur, quod censura lata ab Episcopo per
viam sententiæ generalis non ligat nisi subditos ra-
tione personæ, & domicilij, non autem eos, qui subditi
non sunt, etiam si intra ejus territorium existant. Ex
part. 5. r. 9. Ref. 36.

Respondeo affirmativè, dum manet in sua
Diocesi, vel etiam si talis alienigena profes-
sus sit ab ea Diocesi, antequam ferretur excommu-
nicatio, tamen fuerit præventus citatione, vel si ad
requisionem Episcopi ejus territorij, in quo deli-
quit, citetur à proprio Episcopo, ad quod Episcopus
requisitus tenetur, ut notant Doctores in c. fin. de foro
comp. & observat in specie ex neotericis Petrus Cor-
nejo, in 3. part. D. Th. r. 5. de censuris in genere, disp. 6.
dub. 2. q. 3. Hurtad. de cens. in genere, diff. 9. num. 36. &
Avila de censuris part. 2. c. 3. disp. 2. dub. 3. concl. 2. in tali
enim casu reus tenetur respondere, & si non faciat,
potest excommunicari ab Episcopo territorij, in quo
deliquit.

2. Sed insurgit hic practicabile, ac curiosum du-
bium, nempe an si Archiepiscopus Panormitanus
ferat excommunicationem contra scientes quisham
fecerit tale furtum, & non manifestantes? Si Petrus,
v. g. originarius Diocesis Montis Regalis perveniat ad

civitatem Panormi post latam hanc sententiam, & vlt. in fine
ibi acquirit domicilium, & cognoscat furem, & non
manifestet; an ligabitur censura? Affirmativam sen-
tentiam tenet Ioan. Præpositus, in 3. part. D. Th. q. 1. de
cens. in comm. dub. 5. n. 50. Hurtado, ubi supra, n. 39. qui
citatur Suarez, & Coninch: quia non apparet ratio,
propter quam talis non ligetur censura, cum etiam
post publicationem edicti daretur ejus obligatio, & im-
positio pœnæ. Verum mihi contraria sententiæ etiam
probabilis videtur, quia sententiæ referendæ est ad
tempus, in quo pronunciat, tunc enim incontinenti
sumit vires adversus eos, contra quos fertur. Ergo
solum habet vim contra eos, qui tunc erant subditi.
Ex quo inferunt viri docti, quod licet tempore, quo
profertur hujusmodi sententiæ, ille alienigena existat
in civitate Panormi, si tamen nondum est factus sub-
ditus ratione personæ, quia nondum acquisivit do-
micilium, non ligabitur censura quoniam tempore
prolationis sententiæ non erat subditus, nec ratione
delicti, nec ratione personæ. Ita Avila, quem sequitur
Cornejo, ubi supra, & Sayrus.

3. Hinc à fortiori dicendum est cum supra citatis
DD. quod censura lata ab Episcopo per viam senten-
tiæ generalis non ligat, nisi subditos ratione personæ
& domicilij, non autem eos, qui subditi non sunt,
etiam si intra ejus territorium existant: unde qui in
alieno Episcopatu, ubi furtum prohibitum est sub
censura, non habet domicilium, non ligatur illa cen-
sura: & ratio est, quia censura per modum senten-
tiæ etiam generalis directè fertur in personas secun-
dum se, præscindendo à territorio. Ergo solum ligat
eos, quæ secundum se subditi sunt; sed alienigena
non est subditus, ergo.

Sup. hoc est
doctrina
ref. seq.
signanter in
fine.

RESOL. CVI.

An peregrini obligentur censuris locorum generali sen-
tentia aut statuto decretis?

Et ideo excommunicatio lata contra eos, qui sciunt ali-
quod furtum seu delictum esse commissum, non ligat
transientes advenas, & peregrinos. Ex p. 3. tract. 5. &
Misc. 1. Ref. 73.

S. 1. Affirmativè respondit glossa in c. à nobis de
sent. excomm. & ibi Abbas, n. 7. Vgolinus, de
cens. tab. 1. c. 9. §. 2. n. 4. & DD. quos citat, & sequitur
Barbosa, in collect. tom. 2. lib. 5. c. 21. n. 4. & hanc sen-
tentiam docet etiam Suarez, de cens. disp. 5. sect. 5. n. 12.
quando censura lata est per statutum, quia cum ter-
ritorio inhæreat, affici debent etiam peregrini. Et
absolutè hanc sententiam docet Basilii Pontius de
mair. lib. 5. c. 7. §. 2. n. 19. si ve excommunicatio sit lata
per modum statuti, si ve per modum sententiæ.

2. Sed ego contrariam sententiam teneo ex
textu claro in cap. 1. nobis, el. 1. de sent. excomm. nam
potestas jurisdictionis tantum se ad subditos exten-
dit, sed sicut sententiæ, & statutum manat à potesta-
te jurisdictionis. Ergo solum ligat subditos, non au-
tem advenas & peregrinos. Et ita novissime adver-
sus Suarez, docet Layman, in Theol. moral. lib. 1. tr. 5.
p. 1. cap. 4. num. 5. unde contra Basilium, ubi supra,
excommunicatio lata contra eos, qui sciunt aliquod
furtum seu delictum esse commissum, non ligat tran-
sientes. Ita Coninch de Sacr. disp. 13. dub. 7. cõcl. 5. n. 60.

Sup. hoc in
ref. præce-
rit §. vlt.
Sed lege eam
per totam.

RESOLUTIO CVII.

An Collegium vel universitas possit excommunicari?

Et